



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xiiij. Vt lite pendente nihil innouetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

VT LITE PENDENTE nihil innouetur,

TITVLVS XIII.

*Lite pendente nihil innouandū, & lis tunc pendere dicitur, cum citatio legitima peruenit ad partem citatam, aut per eam factū est, quo minus perueniret. h. d.*

Instituta ergo lite, & solennibus præstitis satisfationibus & calumniæ iuramento exhibitio, ad probationes, & merita causæ descendendum erit: & interim pendente lite nihil innouari poterit. Lis<sup>a</sup> autem pendere hoc respectu tunc dicitur, non modò cum lis contestata fuerit, verum etiam postquam à iudice competenti citatio emanarit, & ad partem citatam peruenierit, vel per eam factum est, quo minus ad eius notitiam perueniret, dum tamen in citatione ea sint expressa, per quæ possit quis instrui, super quibus in iudicio conuenitur.

*Ob dilapidationem etiam lite pendente fit sequestratio.*

*b cap. si. ext. de sequestr. possess.* Planè<sup>b</sup> ab eo, qui postquam à sententia prouocauit, possessionis fructus dissipat, etiam lite pendente sequestrari poterunt.

*Litis pendenti non inualidat matrimonium contractum. h. d.*

*c cap. cum in apostolica. ext. de spon. sali.* Sic etiam<sup>c</sup> si dum super matrimonio lis pender, secundum quis matrimonium ritè contraxerit, si primum nō tenuisse de-

claratum fuerit, pendenti litis obtentu secundum irritari non poterit. Ei tamen qui in contemptum contraxerit, cōpetens pœnitentia imponenda erit.

DE PROBATIONIBUS,

TITVLVS XIII.

*Quid sit probatio, & quibus modis fiat. hoc dicit.*

Probatio igitur est, idoneis Pargumentis & legitimis medijs facta demōstratio. Conringit autē quid probari varijs modis: vtputà, confessioe partium, depositione testium, instrumentorum exhibitione, iurifurandi religione, inspectione iudicis, notorietate rei, suspicione vehementi, fama, atq; alijs adminiculis.

*Quomodo nascatur probatio ex confessione, & quæ sint positiones. h. d.*

Partium cōfessione tunc cōstat probatio, cum reus positionibus respōdendo, vel aliàs in iudicio de intentione confitetur actoris. Sunt autem positiones, breues quædam narrationes facti seriem continentes, ad eliciendam veritatē conceptæ, super quibus quis petit ab aduersario responderi, quas ad faciliorem<sup>d</sup> expeditionem litium propter partium confessiones, & probationum defectum vsus longæuus in causis

*d clem. fin. de verb. signi.*